

damenta jaciât; eaque per occultas causas, & incrementa latentia, sensim ad tectum fastigiumque perducât. Id adeo, si quis animum aduertat, jam inde ex ultima veterum annalium memoria facile intelliget. Post diâram illam totius orbis terrarum eluvionem, cum denuo genus humanum in omne scelus atque flagitium rueret, uniusque veri DEI cultum cum dæmonum seruitute commutaret; ne paulatim universâ interiret pietas, peculiarem sibi populum divinæ legis custodem, religionis administrum, oraculorum interpretem DEUS immortalis tempore definito condendum esse decreverat. Quot ante seculis, eam unam in rem, eximia fide ac sanctitate virum, Abrahamum, ex hominum sæce sevocavit, & propria inustum nota ipsum, & prolem ejus, tanquam generosi armenti sobolem, & quidem præclara cum testificatione, seposuit! Rursus hoc ipso populo per summam impietatem atque perfidiam rebellante, lucem veritatis, procurationem sacrorum, & ipsamet adoptionis jura DEUS alio transferre statuerat. Quam multis ante annis urbem Romam exurgere, & a parvis initiis ad summum in terris imperium evehi passus est! Nimirum, ut Ecclesiæ principatum ac religionis domicilium ibi aliquando locaret; atque ut, unde omnes populi & nationes tum jura civilia, tum nefarios ritus ac superstitiones paulo ante petiissent, inde in omnia regna provincialaque, sine ullo erroris metu, sacrosancta Pontificum scita, & castissimæ ceremoniæ, & bene beateque vivendi verissima præcepta manarent. Denique, superiore memoria, cum ex eadem Urbe salutarem Christi doctrinam in remotissimas nationes propagare vellet, quæ lumen Evangelii vel antea nunquam acceperant, vel acceptum, incuria seu longinquitate restinxerant; quam pridem fortium & experientium virorum excitavit ingenia, ut ignotas ad id tempus terras, ignotiora maria, tum ad ortum solis, tum ad occasum, per summam animi contentionem, perque summa pericula & difficultates, pertinaci studio exquirerent! Videlicet, quo permutua commercia, dum peregrini cum incolis vel terra nata, vel manu facta, vel alia quælibet in usum vitæ, pro locorum & regionum varietate, permutant; interea occasionem nacti sacerdotes, & vitæ innocentia & Christianæ facundiæ laude præstantes, ex auctoritate Romani Pontificis, verbum DEI longe lateque disseminarent; errantesque mortalium greges, ab infelicibus vepretis ac saltibus, ad læta Domini pascua caulisque traderent. Cujus tam gloriosi facinoris, tamque longinquæ navigationis (ad quam neque fabulosi illi Argonautæ, neque in coelestium numerum falso relati Bacchi Herculesve unquam adspirarunt) quoniam decus ac titulos partim Lusitaniæ, partim Lusitaniæ finitima Boetica sibi jure quidem optimo vindicat; quæ a Boeticis ad solem occidentem præclare gesta sunt, scriptores alii persequuntur: nos, quoniam cuncta complecti pæne infinitum esset, Lusitanicæ tantum conquestionis, præsertim vero promulgati ad meridiem & Orientem Evangelii initia progressusque (quando ita jubemur ab iis, quorum a nutu discedere est nefas) in unius DEI gloriam & solatium Ecclesiæ Christi universæ, latinis maxime litteris consignare decrevimus. Quæ cognitio piorum animos varie, ni fallor, afficiet: lætabuntur haud dubie, tanta jam ex parte vesanis gentium ritibus, ac detestabili Deorum inanum cultu sublato: punget eos rursus atque adeo terrebit, improborum scelere & pravis dogmatibus agitata, ex orbe nostro ad insulas longe, ut inquit Esaias, atque ad ultimas terras tanquam indignabunda propalam migrans Christiana religio: ut vel DEO vindice regnum